



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42790

CHRONICON

CAPVT XI.

Ludouicus rex & imperator, Caroli magni filius, post patris obitū imperat annis viginti sex: Moritur anno octingentesimo quadragesimo.

Claret Traiecti sanctus Fredericus episcopus & martyr, qui in Vualachria multum laborauit contra illicita connubia, & in Frisia contra Ariannam perfidiam. Anno trigesimo octauo occisus est ad sanctum Saluatorem, ante summum altare, post Missæ celebrationem; quia Ludouici imperatoris & Iudithę consanguineæ eius nuptias, vt incestas damnabat. Contraxerant enim sine Romani Pontificis licentia. Claruit cum eo in eadem ecclesia sanctus Odulphus Canonicus, qui aliquot annis in Frisia, potissimum Staueræ laborauit, multumque populum ad viam veritatis reduxit.

Sanctus Ansharius, monachus Corbeiensis, & archiepiscopus Hamburgensis, anno octingentesimo trigesimo tertio visitat Turoltum Flandriæ monasterium, sibi & clero in vitæ subsidium donatum à Ludouico. vnde secum abduxit sanctum Rembertum Flandrum, qui ei in episcopali functione successit. Clarebat etiam sanctus Adeldardus abbas Corbeiensis, oriundus apud Aldenardam, ex Vscia, quæ villa Corbeix donata est. Einarodus, Gandensis abbas anno octingentesimo vigesimo octauo, reliquias sanctorum Marcellini & Petri Roma attulit. Eodem tempore Euerardus Comes Cisoniensis, coniuge ac liberorum pulchra propagine, opibus, clientelis, peritia rei militaris, vitæq; sanctimonia illustris est habitus, initiumque dedit Cisoniensi cœnobio iuxta Insulas.

fulas. Item floruisse scribuntur sub Ludouico Alemanniæ rege, sanctus Veronus Lembecę sepultus & soror sancta Verona, quæ haud procul à Louanio quiescit. Sed examinent studiosi, num hic Ludouicus, frater sit Caroli Calui.

C A P V T X I I .

Nortmannorum & Danorum sæuissima & diuturna vastatio per Franciam & Lotharingiam, sub hoc imperatore incepit. Anno trigésimo secundo littora Flandricatentauerunt, sed repulsi, tandem in Aquitaniam irruerunt. Anno trigésimo septimo Nortmáni, inquit Sigebertus, Gallias grauiter infestant, Dorestadum (hodie est **Wic** apud Traiectum) vastát. Andouerpam oppidum & Vuilam emporiũ, situm iuxta ostium Mosæ, incendunt: à Frisonibus & Hollandis tributum accipiunt. Anno trigésimo octauo Vualachriam insulam Zelandiæ vastant, & tributum exigunt. Anno quinquagesimo primo Gádauum ferro & igni vastauerunt, cum cœnobijs Gádensi, Blandiniensi, & Trunciniensi; Anno sexagesimo primo ditionem omnem Taruanicam incendijs, ruinis, & mortibus fœdauerunt. Lutetiam etiam Parisorum diripuerunt. Anno sexagesimo sexto, Balduinus Ferreus à rege Frácię accepit in dotem totam regionem, Scalde, Somena, & Oceano terminatam: & appellatus est Comes regni Francorum, atque Marchio Flandriarum, ad hoc maxime, vt aduersum Danos, omnemque septentrionis barbariem, perpetuus foret regni Galliarum propugnator. Et Ebbo Remorum pontifex, ad
confir-

*Tertia
Belgarum
vastatio
per Nort-
mannos.*